



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Aliorum placita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

PUNCTUM VII.

De gravitate, & levitate.

§. I.

Aliorum placita.

I Gravitas, & levitas affectiones sunt, quæ præcipuè elementa comitantur, ideo illius notitia ad perfectam elementorum cognitionem spectat: gravitas est principium intrinsecum motus deorsum, identificatum cum mobili, vel per se ab intrinseco procedens. Levitas verò principium intrinsecum motus sursum, identificatum cum mobili, vel per se ab intrinseco procedens. Differunt gravitas, & levitas ab impulsu qui est principium motus, ex eo, quod impulsus neque sit identificatus cum mobili, neque ab illo procedat, sed semper ab agente extrinseco producat. Differunt etiam à potètia locomotiva viventium, quia hæc non est principium per se determinatum ad motum sursum aut deorsum, sed indifferens ut sursum vel deorsum motum producat. Per duplicem conceptum disjunctivè sumptum tradidi prædictas definitiones, ut possent iuxta omnium opiniones subsistere; in mea verò sententia, quæ gravitatem, & levitatem à formis substantialibus distinguit, secus distinctione utraque potest definiri, per principium ab intrinseco procedens, &c. Hæc processio ab intrinseco convenit gravitati, & levitati, si qualitates sunt distinctæ à temperamento primarum qualitatum, quia vel ab isto procedent, vel ab ipsa forma substantiali. Si verò non distinguantur ab ipso temperamento, hoc enim per se ab intrinseco procedit, forma enim in instantibus succedentibus mensuram suæ primæ productionis proprium temperamentum producit, & in illa prima mensura illud supponit, & exigit, & de facto illud produceret, si non supponeretur productum, & ita quasi per accidens illud non producit, per se enim formæ talis est temperamenti productiva. Quando verò temperamentum est alteratum per excessum alicuius qualitatis ab extrinseco productæ ultra exigentiam formæ, tunc pars illa, seu ille qualitatis excessus non procedit à forma, verumtamen dicitur ab illa procedere gravitas, & levitas etiam si constet in commixtione qualitatum, quæ mobili conveniunt iuxta proprium temperamentum, & alicuius quæ ultra proprium temperamentum seu contra propriam exigentiam mobili contingit, quia præcipuè qualitates, & maior illarum pars quæ commixtionem ingrediuntur à forma mobilis procedunt.

2 Circa naturam gravitatis, & levitatis, & distinctionem illarum à forma corporis, quod grave levis videtur sunt plures dicendi modi. Communis sententia gravitatem & levitatem à forma corporis gravis, & levis, verbi gratia, gravitatem in terra à forma terræ, & levitatem in igne ab eiusdem forma distinguit. Tenent hanc D. Thomas lib. 2. de anima lect. 23. Galen. lib. 1. de natura humana capite 5. Patres Conimbricenses lib. 2. de generat. capite 3. quæst. 4. artic. 2. Pater Hurtad. de opere sex dierum disputat. 3. sect. 5. subsect. 5. Petrus Garcia super fen. lib. 1. c. vnic. disputat. 4. c. 5. sequuntur hi omnes Philosophum, qui multis in locis hanc sententiam expressè tradidit, præcipuè lib. 2. de generat. c. 2. & 7. Physic. c. 2. & lib. 5. Metaph. c. 14. & lib. 2. de partibus animalium c. 3. Verumtamen, in his, qui gravitatem, & levitatem distinguunt à formis substantialibus magna potest esse Controversia, potest enim dici esse qualitates immediatè ortas ab ipsis formis substantialibus, & distinctas à primis qualitatibus, & ab illarum temperatūra, qui dicendi modus est alienus à mente Philosophi, & Doctoris Angelici locis citatis. Aliter potest dici gravitatem, & levitatem resultare ex temperie primarum qualitatum, & hæc est sententia Philosophi, & D. Thom. Sed adhuc res est dubia, vulgo enim dicitur aggregatum qualitatum ex ipsis qualitatibus resultare, & iuxta hunc loquendi modum, potest dici gravitatem, & levitatem resultare ex primis qualitatibus, & non distinguere ab illarum temperatūra, seu ab illarum aggregato. Alio modo proprius dicentur gravitas, & levitas resultare ex primis qualitatibus, & ex illarum commixtione, si ab ipsis simul sumptis distinguantur tanquam qualitates speciales procedentes à primarum temperamento eo modo, quo procedunt albe-

do, & sapor. In hunc sensum Patres Conimbric. Aristotelem interpretantur, qui asserunt loco supra citato gravitatem, & levitatem non immediatè procedere ex primis qualitatibus, sed interuentu raritatis, & densitatis, ita tradunt sensisse Philosophum 4. Physic. c. 9. text. 37. Neque adhuc horum, qui sentiunt gravitatem, & levitatem procedere ex primarum temperamento, & ab illis etiam simul sumptis distinguere, vna mens est, fert enim communis inter hos sententia gravitatem, & levitatem esse qualitates specie distinctas, & inter se oppositas sicuti albedo, & nigredo, cui se opponunt recentiores asserentes gravitatem, & levitatem tantum distinguere penes magis, & minus, ita ut eadem qualitas cum est intensius gravior vocetur, & sit principium motus deorsum, & cum est remissa dicatur levitas, & sit principium motus sursum. Hæc ratione asserunt neoterici isti, terram petere esse sub omnibus elementis quia qualitatem hanc habet summè intensam, & aquam petere esse sub aère, & igne, & non sub terrâ, sed supra illam, quia habet qualitatem hanc intensiorem, quam habent eandem, aër, & ignis, & remissionem quam terra eadem proportionem philosophantur de aère, qui petit esse supra aquam, & infra ignem propter qualitatem quam habet intensiorem qualitate simili ignis, & remissionem qualitate simili aquæ. Ultimo iuxta hunc dicendi modum ignis est summè levis, qualitatem habet summè remissionem inter qualitates omnes similes, quibus gaudent alia elementa. Modus iste dicendi toto cælo aberat, ut ostendam, quem invenisse iactitant recentiores isti, sed vanè, quia iam diu illum improbauit Hurtad. supra, §. 1. ubi dixit gravitatem, & levitatem non differre penes maiorem, aut minorem intensiorem.

Vallesius lib. de sacra Philosophiâ capite 48. & lib. 1. Controv. cap. 3. & Arriaga disputat. 4. sect. 5. subsect. 1. omnia omnibus dicendi modis supra adductis dixere gravitatem, & levitatem non esse accidentia superaddita substantiis, sed identificari cum formis substantialibus ipsorum corporum gravium, & levium, ita ut ipsa forma per se ipsam principium sit immediatum motus deorsum, & in corpore levi motus sursum. Probat Vallesius conclusionem traditam, si gravitas, & levitas essent accidentia distincta, convenirent corporibus absolute in ordine ad se in certa, & determinata intensione, sicuti competit calor, & frigiditas cuicumque corpori, sed gravitas, & levitas non ita subiecto conveniunt, sed respectu, & in ordine ad aliud, ergo non sunt accidentia superaddita. Minorem probat Vallesius, si gravitas & levitas absolute convenirent subiectis, eodem modo illis convenirent respectu cuiusvis mediij atque respectu diversij mediij diverso modo convenirent, ergo non convenirent absolute. Patet minor in balance, in qua si ponatur libra auri, & argenti in medio neutra alteram detrahet, si tamen aquæ superponatur, libra auri aquis supernatat: ergo gravitas horum corporum absolute non est, sed respectiva ad medium, ergo non est accidens superadditum, quod respectu cuiusvis mediij absolutum esset. Ratio hæc nullius est momenti, quia ad distinctionem gravitatis, & levitatis à subiecto nihil præstat diversitas, quam habet respectu mediorum: eadem enim est difficultas, & eadem reddenda est ratio, cur ex duabus gravitatibus quædam corporis lignei, & alia corporis aurei mediâ aquâ submergatur vna, & alia supernatet, neque enim magis respectiva esset gravitas identificata cum substantia, quam illa, quæ à substantia, distinguatur, & sicuti gravitas superaddita esset in determinato gradu, ita gravitas identificata cum substantia semper esset eadem, & eiusdem virtutis, & æquè propenderet in centrum, imò si gravitas est superaddita potest recipere magis & minus, intendi, & remitti, & gravitas identificata cum substantia semper eadem immobilis necessariò perseverat.

Ut rem solvam, præmitto tanquam certum libram ferri positam in hac lance numquam præponderare libram ligni positam in altera, neque aliquando ex duabus gravitatibus quantumvis differant corpora gravia, & levia, sicuti differunt ferrum, & lignum, cuiusvis conditionis sit medium numquam vnam alteri prævalere, cum enim posita balance super aquam, vna supernatet, & alia submergitur, illa quæ submergitur non detinet aliam ne submergatur, sed ideo ista submergitur, quia vincit resistentiâ aquæ, & illa supernatet, quia similem aquæ resistentiâ vincere non potest. Quod si necessum esset lancem illam attolli, ut hæc submergeretur, veroque esset

esset immobilis, vt contingit quando trutina ita est opposita, & loco superiori affixa, vt tantum possit simul attingere vtraque lanx superficiem extimam aquæ. Ex his constat ad præsentem difficultatem tantum desiderari rationem propter quam ferrum (idem tene de aliis corporibus) & non lignum submergitur aquis. Disparitas sumenda est ex poris aëre repletis, quos in se lignum continet, partes enim aëris in illis contentæ natura sua leues sunt, & petunt esse supra aquam, & ita resistunt motui, ex vi cuius submergantur aquis; ferrum verò, & alia corpora densa pauciores habent poros, quibus detineatur aër, qui leuitet, & resistat esse sub aquis. Pater Arriaga eò solum negat gravitatem, & leuitatem, quia nullum est fundamentum concedendi has potentias distinctas à forma substantiali, & ita de illis philosophandum est, sicuti de reliquis potentiis viuientium, quas nunquam sine fundamento distinguimus. Fundamentum hoc coarctat ratio, quæ probabo gravitatem, & leuitatem à formis substantialibus distinguenda esse.

5 Oppositam sententiam videlicet gravitatem, & leuitatem distingui à substantia, sic Petrus Garcia intendit probare. Si grauitas, & leuitas non distinguerentur à substantia, sequeretur eadem prorsus celeritate moueri deorsum corpus paruum quæ mouetur magnum, cuius oppositum docuit Aristot. 4. de celo c. 5. & manifesta monstrat experientia, quæ probatur: eadem celeritate aqua parua, aut magnæ quantitatis calefacta reducit se in pristinum frigiditatem, neque est vnde oppositum contingat, neque ex alio capite id accidit, nisi quia parua, & magna aqua per se ipsam reducit in pristinum frigiditatem; ergo si lapis paruus, aut magnus per se ipsum deorsum descenderet, æquali velocitate vterque descenderet, neque aliud discrimen potest assignari ratione cuius lapides magnitudine inæquales inæqualiter descendat, & aquæ calefactæ inæquales magnitudine æqualiter frigeant.

6 Mihi certum est aquæ cito in frigiditatem innatam se restituere exiguum, atque magnam aquam, verumtamen experientia admissa ex alio capite illius ratio petenda est, neque discrimen assignatum in præcedenti argumento ad rem facit, quod sic ostendo. Si grauitas est accidens superadditum diffusum est per totum subiectum: ergo quo subiectum est maius, grauitas extensius maior erit, & plures habebit partes similes, & quo subiectum est magis extensum plures partes habebit substantiæ, partes enim substantiæ diuisibiles, & partes grauitatis, & cuiusvis accidentis superadditi inter se commensurantur: ergo, sicuti, quo substantia est magis extensa, est magis virtutis illi inherens, ita est magis eiusdem substantiæ, & virtutis cum illa identificata: ergo siue grauitas sit accidens superadditum, siue distinctum semper remanet eadem difficultas, quomodo substantia maior per se ipsam productiua non celerius effectum, quam minor, sed tantum maiorem extensius producat, & grauitas superaddita extensius, maior non solum maiorem extensius, sed etiam maiori cum velocitate effectum producat. Respondet Garcia diuersam esse rationem, quia iuxta sententiam Philosophorum, qui probabiliter sentiunt, quo virtus actiua est in maiori quantitate, celerius agit, & sic celerius mouet, tamen nullus dixit, quo substantia est cum maiori quantitate celerius frige fieri: Ratio hæc difficultatem non soluit, sed premit, quia si ex Aristot. quo maior est virtus celerius producit effectum, quo maior est aqua, quæ per se ipsam frigit, maior est virtus productiua frigiditatis: ergo celerius debet produci frigiditas.

7 Ad difficultatem explanandam aduertere oportet aquam calefactam restituentem se in pristinum frigiditatem tantum agere in se ipsam, lapidem deorsum descendentem non solum agere in se ipsum producendo propriam præsentiam, sed in passum approximatum, & verbi gratia, in aerem expellendum ab spatio quod mobile motu proprio percurrit. Ex hoc capite optima discriminis ratio redditur, aqua enim calefacta, quo extensior est extensior effectum debet producere, & contrarium magis extensum debellare, vnde eadem proportionem, quo crescit extensius virtus aquæ crescit extensius effectus producendus, & contrarium expugnandum, & ita sicuti non citius duo homines duos vincunt homines quam vnus homo hominem alium, ita non citius duplex pars aquæ duplicem partem frigiditatis producit, & duplicem aliam caloris expellit, quam vna pars aquæ partem vnā

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

frigiditatis producit, & aliam frigiditatis expellit. Adde partes aquæ aquæ calefactas per simplicem emanationem se restituere in suam frigiditatem, quia pars hæc aliam propinquam adiuvat ad suam frigiditatem producendam, neque per modum vnus principij concurrant ad producendam frigiditatem in altera, sed quælibet propriam frigiditatem producit, quia eo ipso quod partes aquæ sint æquæ calefactæ sunt æquæ frigide, & similes in frigiditate, simile autem in simile non agit, ex quo fit non citius plures partes propriam frigiditatem acquirere, quam illam acquireret pars aquæ separata, cum separata, & vnita ipsa sola concurrat eodem modo ad propriam frigiditatem producendam. Iam si lapidem deorsum descendentem respectu proprii motus, & effectus quem in se producit, inspicimus ex hoc capite præcisè eodem modo se habet ac aqua respectu suæ frigiditatis adquirendæ, quia quo maior est lapis, maior est præsentia producenda, & quælibet pars lapidis suam propriam producit præsentiam. Si verò consideretur virtus lapidis siue identificata siue distincta à substantia lapidis respectu effectus, quem producit in passu propinquo, longe aliter se habet. Quia omnes partes lapidis per modum vnus indiuisibilis principij concurrunt ad effectum producendum in qualibet parte aëris, & ita quo plures sunt partes lapidis celerius, & intensiorem effectum producant in aëre, & ita citius aerem propinquum mouet illiusque vincunt resistentiam, quæ retardat motum lapidis, ex quo fit citius posse contrarium vinci, & lapidem ipsum moueri, & ex hoc capite optima & adæquata disparitatis ratio posset desumi. Accedit quod non ex eo quod crescat lapis, & cum illo virtus, quæ resistentiam corporis contingit vincere debet, eadem proportionem crescere resistentiam passui contrarij, quantumvis lapis crescat secundum profunditatem, si non crescit secundum superficiem infimam, per quam tangit aerem in hoc instanti remouendum, vt in hoc instanti moueatur, nihilo crescit resistentia contrarij in hoc instanti vincendi vt in hoc instanti moueatur, licet crescat virtus quæ resistentia passui expugnanda est. Res est manifesta. Pone corpus graue cuius superficies immediate attingens aerem immediate sub illo contentum sit vndique palmaris, quod in his quatuor temporibus instantibus mouetur versus terram, per quatuor indiuisibilia spatij versus centrum: corpus hoc siue altitudinem habet duorum siue quatuor palmorum eandem resistentiam debet vincere in illa mensura, in quo mouetur per illa quatuor indiuisibilia spatij, quia easdem partes aëris debet expellere: ergo ex altitudine, seu profunditate huius corporis non crescit resistentia aeris ad motum faciendum per illa quatuor indiuisibilia versus centrum, sed sic est, quod crescit virtus, quæ resistentiam hanc est victura, quia aër non solum expellitur à partibus corporis, quæ in illius spatium succedunt, sed ab omnibus etiam superioribus, omnes enim per modum vnus producant impulsu in aëre remouendo: ergo crescente lapide, qui se mouet secundum profunditatem semper crescit virtus quæ vincenda est resistentia passui, non tamen crescit resistentia passui, nisi quatenus mobile crescit secundum superficiem illam immediate tangentem aerem contentum sub corpore mobili.

8 Ex his rationem facile percipies, cur tabula, & quodlibet aliud corpus expansum tardius mouetur, cum illius expansio, dum mouetur, respicit centrum, & secundum totam suam planitiem aliam æqualem aëris planitiem remouet, & velocius quando superficies planæ latera aëris respiciunt, & tantum per partem extensam aerem offendit, quia cum sic cadit, potiores aëris partes pluribus partibus corporis, quas supra se habent impetuntur, quando verò primo modo mouentur; quælibet pars aëris remouenda potiores partes aeris quibus vincatur, supra se habet, quælibet enim pars aëris existit in medio, per quod fit motus, illis tantum partibus aëris quas directè supra se habet impetitur, vt à propria sede demouetur. Ex hoc capite optimum discrimen desumitur propter quod crescente profunditate corporis mobilis crescat velocitas motus localis, cum crescat virtus contrarij vincendi, & non crescat contrarij, neque huius resistentia, & crescere aqua calida non crescat velocitas motus alterationis, quia eo ipso quod maior sit aqua calida restituens se in pristinum frigiditatem crescit necessariò qualitas expellenda, & cum ipsa resistentia innata eidem qualitati, quæ se in-

T t 2 tendit

tendit in subiecto extraneo tueri. Probat alij grauitatem, & leuitatem esse qualitates, quia sensu tactus percipiuntur. Huic argumento recte respondet Arriaga grauitatem, & leuitatem non in se ipsis tactu sentiri, qui tantum percipit impulsu ab illis productum, ex quo intellectus grauitatem infert per discursum, quia si ego manum supponam fornici, illius grauitatem non sentio, ex eo tantum quod aliunde sustentatur, & manui non imprimit impulsu, vt moueatur.

9 Recentes illi, qui asserbant grauitatem, & leuitatem tantum differre penes magis & minus, eo tantum nituntur fundamento, quod existiment rem ita posse sine multiplici qualitate, & earum oppositione componi.

§. II.

Propria sententia.

10 **PRIMA CONCLUSIO:** Grauitas & leuitas non identificantur cum substantia. Probat hanc conclusio ex accidentibus Eucharisticis: destructa substantia in hostia consecrata grauitant, & innato pondere deorsum descendunt, ergo remanet grauitas in his accidentibus: ergo separatur a substantia: ergo ab illa distinguitur. Communis solutio est in accidentibus Eucharisticis nullam manere grauitatem, neque principium aliquod motus deorsum, sed Deum effectiue mouere illa accidentia eo modo quo mouerentur, si ibi esset grauitas identificata cum substantia, ne ratione naturali notum fiat mysterium Eucharisticum, quod merito nostrae fidei alta Dei prouidentia reseruauit. Neque ideo, ait Arriaga, multiplicantur miracula, potius iuxta hunc dicendi modum, quoddam aufertur miraculum, videlicet grauitatem, quae sit accedens, & substantiae affectio, existere sine subiecto, & sine substantia, quam afficiat. Neque ad veritatem mysterij Eucharistici sincerè defendendam, magis refert hac, vel illa ratione, philosophari, tantum enim fide nobis tenendum est in hostia consecrata desinere esse substantiam panis, & reliqua accidentia superaddita eidem substantiae (mirro praesentia substantiae, etsi quos alios modos proprios habeat superadditos, ibi permanere) quae verò accidentia superaddita substantiae conueniant, vel non, quae verò affectiones substantiae cum illa identificentur, negotium est purè philosophicum ad veritatem mysterij nullatenus spectans. Solutio hac satis probabilis est, verumtamen magis feror in partem, quae negat Deum perpetuo miraculose mouere accidentia Eucharistica, vt celet mysterium, nulla enim ratione de hoc miraculo nobis constat, neque vnquam illud Patres, qui soletter mysterium hoc fidei lumine inspicere, egregieque illius supra naturam excellentiam commendauerunt, talis meminere miraculi, communisque ferè omnium Philosophorum, & Theologorum sententia ne frequentia alia miracula concedat in productione accidentium, quae speciebus consecratis superueniunt, quantitatem superadditam admittit, ex qua tanquam ex subiecto communiter educantur, ne miraculosa creatio in cuiusvis accidentis productione concedatur. Neque verum est, quod ait Arriaga in sua sententia miraculum vitari, quod aliorum sententia concedere teneatur, quia grauitas, etiamsi distinguatur a substantia, in multorum sententia non distinguitur a temperamento primarum qualitatum, & etiamsi distinguatur, naturaliter conseruatur educta ex quantitate, sicuti naturaliter educitur nouus calor ex quantitate Eucharistica, sine substantia existente, non enim speciale miraculum est quodlibet accedens sine substantia conseruari, supposito miraculo, quo quantitas sine subiecto conseruatur.

11 Eandem conclusionem efficacius probo: grauitas, & leuitas non identificantur cum materia vt perspicuum est, eadem enim materia sub hac forma grauitat, & sub illa leuitat: non identificatur cum forma: ergo est quid distinctum a materia, & forma, & consequenter a toto composito, nullus enim dicit identificari cum vnione, quae tantum superest in composito identificato cum materia, forma, & vnione. Grauitatem non identificari cum forma compositi grauis patet in homine, cuius forma spiritalis est, & per se ipsam non grauitat, grauitaret autem si secum haberet identificatam grauitatem. Respondet Arriaga, idem argumentum fieri posse de potentia visua, & nutritiua, & specialem difficultatem in hac materia non habere, quia sicuti diximus animam rationalem habere potentiam visiuam identificatam secum, & non posse in se ipsa visionem

producere, dum est separata a materia, neque in illo tantum videntem constitui, sic dicere possumus habere secum identificatam grauitatem, quae est potentia locomotiva, & non posse in statu separationis motum deorsum, qui est proprius effectus grauitatis producere, neque se ipsam in illo statu innata grauitate mouere, quia motus iste, sicuti visio dependet a materia, & ab aliis accidentibus materiae inhererentibus. Difficultatem non fugit Arriaga est enim diuersa ratio de grauitate, & de potentia visua, haec enim productiua est visionis, quae est accedens corporeum, non potens educi ex subiecto spiritali, neque produci sine concursu specierum, quae in materiali subiecto recipi debent, ac proinde actio productiua visionis ex natura sua supponit subiectum materiale, ex quo educatur, & in quo recipiantur alia principia, videlicet species, a quibus dependet, & hinc fit non posse dari visionem sine materia, neque produci a forma in separationis statu, terminus verò producendus a grauitate tantum est praesentia localis rei grauis, actio a grauitate procedens tantum est motus localis, ex vi cuius producit hanc praesentia, sed praesentia localis animae, neque actio productiua illius ex nullo capite indiget subiecto materiali: sed optimè ex ipsa anima educitur, neque principium aliquod excogitari potest, ratione cuius indigeat materia, sicuti innumera reperiuntur in nutritione, & in aliis actionibus vitalibus: ergo si anima separata habet hanc potentiam locomotiuam, cum ipsa sit necessaria, & nulla ratione subdita imperio voluntatis, necessario reducitur ad actum, & anima separata grauitate cum illa identificata deorsum naturaliter in separationis statu descendit. Confirmatur: Principium productiuum non dependet in operari ab illo, a quo terminus producendus non dependet in instanti, in quo fit, neque in vterioribus, sed praesentia, quam acquireret anima motu deorsum nullo modo penderet a materia, neque ab aliis accidentibus, si illius principium productiuum tantum esset anima: ergo anima absoluta a materia, & reliquis omnibus accidentibus corporeis moueretur motu deorsum, si secum haberet identificatam grauitatem, quae est principium per se ad talem motum determinatum. Neque dici potest grauitatem identificatam cum anima immediate, & per se ordinari ad motum materiae cui vnitur, & non ad motum ipsius animae, quia grauitas illud per se mouet, quod per se graue constituit, idem enim est graue, ac propendens in motum deorsum, sed grauitas identificata cum anima primo, & per se constituit grauem ipsam animam: ergo primo, & per se illam debet mouere.

12 Fateor rationem hanc tantum immediate in hominem euincere, cuius forma spiritalis est, verumtamen ex homine argumentum conficitur ad probandum eodem modo contingere in aliis compositis, si enim in homine datur grauitas distincta ab illius substantia, saltem concluditur in reliquis compositis ex se possibile esse grauitatem distinctam, a qua motus deorsum procedat. Deinde si in homine non distinguitur grauitas a temperamento primarum qualitatum, sic etiam manifestè conuenit temperamento primarum qualitatum sufficere ad constituendum corpus graue, & superflue poni grauitatem accidentalem identificatam cum substantia. Demum si in homine grauitas accidentalis resultat ex temperamento primarum qualitatum, eadem resultabit in aliis compositis, & omnia grauitate accidentali, & superaddita graui constituantur, duplicemque grauitatem habebunt, substantialem vnā, accidentalem aliam, si formae substantiales illorum grauitatem habent identificatam. Alia ratio desumitur ad eandem conclusionem probandam ex vaporibus, & exhalationibus terrae, quae secundum substantiam non distinguuntur a terra, & aqua, & tamen sunt leues, in quibus apparet separata grauitas ab aqua, & terrae formis, quod signum est euidentis distinctionis, verumtamen hac ratione iam vix ad tertiam conclusionem probandam, qua praecedens magis stabilietur.

13 **SECVNDA CONCLUSIO.** Grauitas, & leuitas non distinguuntur a primis qualitibus permixtis. Ratio est: nullum est fundamentum, neque vlla ratio, ad concedendas qualitates distinctas a primis, quae sint principium motus sursum, & deorsum: ergo primis qualitibus possunt hi motus tribui absque aliarum qualitatum multiplicatione. Confirmatur: si darentur grauitas, & leuitas qualitates speciales, haec deberent oriri a temperamento qualitatum, vt probabo conclusione 3. ergo ab eodem potest